

# EPISTULA LEONINA

## CXLIV

HEBDOMADALE  
 PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
 QUOD ĒDITUR  
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETTIALI  
 CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **G R A T I S** ET **S I N E ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CXLIII** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**CENTESIMAM QUADRAGESIMAM QUARTAM (144) !**

## ARGUMENTA

<b>SAPERE AUDE ! .....</b>	<b>03</b>
<b>NARRATIUNCULAE PUERI MALE MÔRATI (<i>Thoma</i>).....</b>	<b>04-12</b>
<b>DE FRAUDE CLIMATICĀ (<i>pars VI et ultima</i>) .....</b>	<b>13-31</b>
<b>1. De theoriâ carbonei dioxydati refutatâ (<i>Ederer</i>).....</b>	<b>15-20</b>
<b>2. De mutationis climaticae novâ religione (<i>Thüne/ Bolz</i>).....</b>	<b>21-31</b>

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS  
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

***Cara Lectrix, Care Lector,***

*maximē gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam centesimam quadragesimam quartam.*

*Lepidissimam fabulam Ludovici Thomae, quae inscribitur "NARRATIUNCULAE PUERI MALE MÔRATI" (Lausbubengeschichten) togā induere coepi magno cum gaudio. Utinam tibi placeat puer male mōratus veste Latinā indutus!*

*Tandem finem imposui hexalogiae, id est relationi in sex partes divisae, cuius titulus est DE FRAUDE CLIMATICĀ. Veniam habeas, quod eandem scripsi prolixorem, quia res climatica mihi videtur gravissima. Notā bene non paucos homines hodiernos hanc rem sibi habere religiosam: Antiquo enim cultu renovato iidem κλιματοδοῦλοι discipuli Alberto Goreo prophetae obsequentissimi venerantur Matrem Tellurem (»Mother Earth«)...*


*Quae cum ita sint, hanc Epistulam Leoninam **144** tolle et lege et laetare et ... **pancraticē vale et perge mihi favere!***

**Medullitus Te salutat  
Nicolaus Groß  
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS  
Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,  
die Martis, 31. m.Oct., a.2017  
quo celebratur  
Iubilaeum Reformationis Evangelicae  
Quingentennale**



**IMMANUEL KANT.** Quem circa a.1790 pinxit pictor ignotus.

## **ΤΟΛΜΗΣΟΝ ΦΡΟΝΕΙΝ SAPERE AUDE !**

**AESCHYLUS, Prometheus vinctus 999-1006**

Ἐρμῆς. τόλμησον, ὃ μάταιε, τόλμησόν ποτε/ πρὸς τὰς παρούσας πημονὰς ὀρθῶς φρονεῖν,  
Προμηθεύς. ὁχλεῖς μάτην με κῦμ' ὅπως παρηγορῶν. / εἰσελθέτω σε μήποθ' ὡς ἐγώ Διὸς/  
γνώμην φοβηθεὶς θηλύνους γενήσομαι, / καὶ λιπαρίσω τὸν μέγα στυγούμενον /  
γυναικομίμοις ὑπτιάσμασιν χερῶν / λῦσαί με δεσμῶν τῶνδε: τοῦ παντὸς δέω.

**HORATIUS, Epistulae I 2,40-43.**

Dimidium facti, qui coepit, habet; sapere audet./ incipe. Viuendi qui recte prorogat horam,/ rusticus expectat  
dum defluat amnis; at ille/ labitur et labetur in omne uolubilis aeuum.

**IMMANUEL KANT, Beantwortung der Frage: Was ist Aufklärung?** Berlinische Monatsschrift, Dez. 1784. "Aufklärung ist der Ausgang des Menschen aus seiner selbst verschuldeten Unmündigkeit. *Unmündigkeit* ist das Unvermögen, sich seines Verstandes ohne Leitung eines anderen zu bedienen. *Selbstverschuldet* ist diese Unmündigkeit, wenn die Ursache derselben nicht am Mangel des Verstandes, sondern der Entschließung und des Muthes liegt, sich seiner ohne Leitung eines andern zu bedienen. **Sapere audet!** Habe Muth dich deines *eigenen* Verstandes zu bedienen! ist also der Wahlspruch der Aufklärung".

# NARRATIUNCULAE

## PUERI MALE MŌRATI

(*Lausbubengeschichten*)

*Quas scripsit*

**LUDOVICUS THOMA**

*in Latinum convertit*

**NICOLAUS GROSS**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**



## **LUDWIG THOMA**

(1867-1921)

Circa a.1909 pinxit Karl Klimsch.

*Ludovicum iuvenem cum pertaedeat se iterum iterumque submittere licentiae magistrorum ceterorumque hominum, qui putantur esse auctoritates, audax consilium capit unum post alterum, quo quam bellissimē calcitret contra stimulum civium abderitanorum.*

*Ludovicus Thoma his in narratiunculis satiricis, quae specie tantum sunt pueriles, mirifico ingenio comico stupendâque subtilitate mores describendi sistema scholae vilelmianum et clericalismum integumentis dissimulationis fallacissimae evolvit denudatque.*

*Eius »Narratiunculis pueri male mōrati« lepidissimis animi lectorum usque hodie non desinunt mirabiliter delectari.*



## **Narratiunculae pueri male mōrati**

**Iuvenis quae expertus sim**

**De Gretulâ Vollbeck**

Ex conclavi meo poteram prospicere in hortum Vollbeckianum, quia pars domūs nostrae postica directa erat in Angiportum Frumentarium.

Cum post meridiem pensa mea domestica faciebam, videbam Consiliarium *Vollbeck* cum uxore cafeam bibentem sedere, necnon omne ferē verbum ab iisdem dictum audiebam.

Ille semper interrogabat: »Ubinam tam diu versatur *Gretula nostra*?«, illaque omnibus diebus respondebat: »O Deus, misera puella non desinit studere rebus descendis«.

Equidem illo, sicut hōc tempore, omnino non intellexi, cur aliqui homo libenter studeret rebus descendis ideoque a cafeā bibendā aut ab aliā quavis re averteretur. Tamen in hac re vehementer stupebam, sed hoc numquam confitebar.

In gymnasio saepius colloquebamur de *Gretulâ Vollbeck*, eamque numquam defendebam, si quis declaraverat istam esse beluam taediosam, quae iactaret se esse doctissimam.

Domi quoque aliquando contemptim locutus sum de hac puellulâ, quam verisimile esset nullum tibiale scire acu texere capitique suo quasvis res inculcaret.

At mater mea sermonem meum interruptus adnotans futurum fuisse, ut ipsa Deo gratias ageret, si quidam homo dimidio tanto sedulus esset, quanto sedula esset illa puella ingeniosa, quae parentibus suis nihil nisi gaudium compararet certoque numquam testimonia scholaria domum secum afferret tam contumeliosa. Oderam autem tales allusiones personales ideoque in colloquiis evitabam istud thema iniucundum.

At mater mea e contrario hoc odium minus respiciens saepe me monebat, ut exemplum mihi sumerem ex Gretulâ Vollbeck.

Quod cum non facerem, die Paschali testimonium domum attuli, quod fuit peius, quam ut monstraretur cognatis proximis.

Dictum est mihi periculum esse, ne proximis diebus sutori traderer tirocinium subiturus, et cum hanc honestam artem fabrilem nequaquam recusavisse, hac quoque de causâ vehementissimê vituperabar.

Dies secuti sunt mihi sat iniucundi, et domi nemo non studebat me ita tractare, ut vero gaudio diei festi carerem.

Tandem mater mea dixit se nullam rationem me ad vias meliores ducendi videre nisi commercium sermonum haberem cum Gretulâ. Fortasse fieri posse, ut haec puella ad me vim haberet prosperam. Cum Dominus Consiliarius Vollbeck iam assensisset, oportere, ut post meridiem paratus essem ad illos transire.

Haec res mihi fuit iniucunda. Discipulus Latinitatis cum adhuc sis, non tam libenter conversaris cum puellis quam postea, et praeterea non sine causâ timui, ne quaedam res inter se contrariae verbis nimium efferrentur.

At quid facerem? Non potui, quin cum matre transirem.

Vollbeckii modo sedebant cafeam bibentes, cum nos vénimus. Gretula defuit, et Domina Consiliaria statim dixit: »O Deus, puella non desinit studere rebus descendis, necnon *scheologiae*«. Mater mea capit is motu nutavit tam gravis atque cogitabunda, ut reverâ cor meum pungeretur et me subiret carae anui gaudium parare. Dominus autem Consiliarius digitis mensam tamquam tympanam pulsans supercilia horribiliter subduxit. Deinde dixit: »Heus, heus *scheologia!*«

Nunc mater mea cum putaret tempus esse me paululo introducendi, me adhortans interrogavit: »Vosne quoque hanc disciplinam scientificam in classe vestrâ discitis?«

Domina Consiliaria Vollbeck subrisit, quod aliquis opinaretur aliorum hominum liberos talia quoque discere, et eius maritus me aspectavit oculis emissiciis; de hac re tam vehementer stomachatus sum, ut statuerem illos laedere.

»Haec disciplina« inquam, »nequaquam dicit *scheologia*, sed *geologia*, nec eadem in scholâ discitur«.

Non multum afuit, quin me paeniteret hoc dixisse, cum viderem mater mea quantâ esset animi difficultate; eandem nescivi, an vehementer mei puderet, et eius oculi fuerunt lacrimosi, cum a Domino Vollbeck aspiceretur quadam cum misericordiâ dolorosâ.

Vetus iste asinus vultum torquebat multis modis, quorum omni expressit se vaticinari res meas futuras esse adversissimas. Consiliarius me alloquens »Videris« inquit »opinari multas res non esse discendas. At testimonium tuum paschale dicitur non prorsus tale esse, ut domina mater tua flebilis contenta sit. Ceterum meâ aetate illam disciplinam licuit etiam pronuntiare *scheologiam*«.

His verbis dictis non tam perculsus eram, quam Domino Vollbeck visus sum, sed tamen gavisus sum, quod advénit Gretula. Quae a parentibus suis vehementer salutata est, omnino aliter ac aliis temporibus, quibus ex fenestrâ meâ illos videbam. Nam illi voluerunt matri meae ostentare, quantâ laetitiâ fruerentur parentes liberorum bene mōratorum.

En illam mulierculam macram longipedemque ibi sedentem, nares suas tantâ cum gravitate tantâque cum praecoci sapientiâ corrugantem, quasi numquam lusisset pupis crepundiisve.

Mamma Vollbeck interrogavit »Quid nunc? Scheologiamne iam perdidicisti?« meque vultu infesto aspectavit sciscitans, num fortasse auderem litem scientificam cum gente Vollbeckianâ incohatam filiâ praesente continuare.

Gretula autem respondit: »Hanc rem nondum finivi. Hôc vespere restant mihi nonnulla capitula pertractanda; haec materia est valdê delectabilis«. Hoc dixit tantâ cum animi levitate, quasi esset geologiae profestrix.

Domina Consiliaria verba filiae repetivit: »Restantne nonnulla capitula?« eiusque maritus voce ludibriosâ declaravit:

»Ergo manifestum est illam disciplinam esse scientificam, quae necessario videatur discenda esse«.

Gretula cum duos panes palmares butyro oblitos teneret ore inclusos, tantummodo capite annuit, ut pausa interponeretur, in quâ mater mea nunc miram puellam aspexit admirans, nunc me conspexit aerumnosa.

Hôc modo effectum est, ut Domina Vollbeck recordaretur finem nostrae visitationis proprium. Eadem: »Bona Domina Thoma« inquit, »secum adduxit Ludovicum suum opinata fieri posse, ut idem tuâ ope aliquantulum progredi in scientiis descendis«.

Mater mea »Dominula enim Gretula« inquit »totâ in urbe bene nôta est propter industriam suam. Tot tantaeque laudes Dominulae cum audivissem, cogitavi eius ope fortasse admoneri posse Ludovicum meum. Qui enim aliquatenus retardatus est in laboribus exanclandis«.

Tum Consiliarius Vollbeck iterum me aspiciens oculis emissiciis: »Sat vehementer retardatus, cara Domina Thoma«. »Ita est, aliquatenus vehementer. At ope Dominulae Gretulae, et ipse si matris gratiâ operam dederit, tamen bene fiet. Mihi quidem hoc firmê promisit, nonne, Ludovice?«

Certē hoc promiseram, sed a nemine commotus essem, ut coram istis hominibus repeterem promissum meum decōrum. Evidē melius quam mater mea intimo ex animo bona atque integra, simplex atque aperta sensi istam familiam exemplarem moribus meis depravatis delectari. Interim panibus butyratis degluttitis filia docta visa est inclinata ad sententiam suam proferendam.

Eadem me interrogavit: »Quānam in classe tu es?«

»In quartā sum.«

Tum puella: »Ergo tractatis« inquit »Cornelium Nepotem eiusque Vitam virorum illustrium«, quasi necesse esset me hoc a se demum accipere. Domina Vollbeck interrogavit: »Scilicet te haec omnia iam legisse, Gretula?«

»Iam ante tres annos haec perlēgi. Hīc et illīc denuo Nepotem inspicio. Heri iterum lēgi vitam Epaminondae«. Consiliarius digitis mensam pulsans tamquam tympanum: »Babae, ille Epaminondas« inquit, »certē eius vita est valdē delectabilis.«

Mater me interrogavit: »Tenesne hunc librum domi? Loquere, queso, paululum de eo cum Dominulā Gretulā, ut videat, quem locum libri assecutus sis.«

Ego autem mussitavi: »Nos omnino non lēgimus Epaminondam«

»Ergo legistis Alcibiadē aut similem. Scilicet Cornelius Nepos lectu perfacilis sit. At si reverā assecutus eris classem quintam, imminebunt tibi difficultates.«

Statui, ut illam ulciscar propter illud »reverā«, et clam iuravi ut proximam occasionem nactus illam mulcarem. At nunc nihil feci nisi sēdi vultu contumaci nullo verbo loquens. Neque loqui potuissem, nam nunc ista muliercula quadamtenus intensa loquendo detendi coepit tamquam elater horologii lusorii.

Gretula matri meae nomina latina velocius iniecatbat, quam ut illa miserrima respirare posset; puto istam puellam omnia verba sua eiecssisse, ut, cum tandem loqui desineret, tota esset vacuefacta. Atta et

Mamma Vollbeck conati sunt puellam mirabilem tamquam elaterem iterum intendere, sed Gretula nunc non iam docendi cupida celeriter abiit, ut pergeret studere *scheologiae* descendae.

Nos taciti remansimus. Parentibus felicibus effectum, quem haec omnia habuerant ad matrem meam, considerantibus aequum atque iustum visum est, quod animus matris meae erat percussissimus. Quae contristata Vollbeckiis valedixit mecumque hortum reliquit.

Domi demum mater denuo loqui valuit. Capite meo teneriter permulso: »Mi fili miserrime, ista perferre non poteris«.

Volui matrem consolari omniaque promittere, sed illa caput quassavit.

»Non, non, Ludovice, hoc non fiet«.

At tamen hoc factum est, quia soror mea paulo post connubio coniuncta est cum *Professore Bindinger*.

## **PRIMUM CAPITULUM OPERIS C.T.**

### **NARRATIUNCULAE PUERI MALE MŌRATI** (»*Lausbubengeschichten*«)

**QUOD SCRIPSIT LUDOVICUS THOMA**

**IN LATINUM CONVERTIT**




**LEO LATINUS**



## **ET MITTUNT EOS IN CAMINUM IGNIS. IBI ERIT FLETUS ET STRIDOR DENTIUM.**

MATTHAEUS 13, 41sq. Mittet Filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala, et eos qui faciunt iniquitatem: et mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus et stridor dentium.



# **DE FRAUDE CLIMATICA (VI)<sup>1</sup>**



**SCANDALO SCIENTIARUM OMNIUM MAXIMO**

**NECNON SCANDALO OECONOMIAE**

**PAEDAGOGIAEQUE**

**ALIIS LUCROSO ALIIS DAMNOSO**

**MUNDUS VULT DECIPI:  
ERGO DECIPIATUR.**

**PARS SEXTA (VI),  
QUAE EST ULTIMA.**

---

<sup>1</sup> *fraus \*climatica i.q. angl. climate swindle; theod. Klimaschwindel.*

»Scientistae<sup>2</sup> nequaquam inter se consentiunt mutationem climatis<sup>3</sup> ab hominibus effici. His mille scientistis duo intersunt Germani, Professor Gerlich et ego ipse, qui scripserunt commentationem, c.t. *Falsificatio physica effectuum thermoceplicorum*<sup>4</sup>, qui in atmosphaerâ fieri dicuntur propter carbōneum dioxydātū<sup>5</sup>. Nulli sunt mechanismi physici, quibus carbōneum dioxydātū vim habeat ad clima mutandum, et sententia, secundum quam temperatura terrae media dicatur augeri posse carbōneo dioxydato ab hominibus emisso, ratione scientificâ non sôlum non demonstrari potest, sed est etiam f a l s a ...immo equidem ipse non dubito quin hac (*sententiâ publicê comprobatâ*) scandalon scientiarum effectum sit maximum omnium temporum... Necnon agitur de scandalo politico, oeconomico, paedagogico uno ex maximis – paedagogicum quoque est eo, quod in scholis discipuli imbuuntur rebus falsis...«

**Ralf D. TSCHEUSCHNER<sup>6</sup>**

**Physicus Germanus**

»Aliquot centum miliardae dollariorum profusae sunt, ut hominibus theoria globalis calefactionis anthropogenae imponeretur, quae non sequitur ex indiciis physicis. Haec theoria hominibus vehementer imposta est fabularum horrificarum inculcatione, quae incipit fieri iam in ludi litterarii libris legendis<sup>7</sup>.

**Geraldo Luis LINO**

**Geologus Brasilianus**

---

<sup>2</sup> \*scientista, -ae m. i.q. theod. *Wissenschaftler*.

<sup>3</sup> theod. *Klimawandel*

<sup>4</sup> effectus \*thermocēpicus i.e. theod. *Treibhauseffekt*. cfr. ngr. Θερμοκήπιον i.q. theod. *Treibhaus*.

<sup>5</sup> carbōneum dioxydātū i.q. theod. *Kohlen(stoff)dioxyd*.

<sup>6</sup> orig.: Prof.Dr. rer.nat. Ralf D. TSCHEUSCHNER <https://www.youtube.com/watch?v=4xep6MvyUT8>

"Es kann von einem Consensus über den menschengemachten Klimawandel keine Rede sein. Unter diesen 1000 Wissenschaftlern sind 2 Wissenschaftler aus Deutschland, Prof. Gerlich und meine Person, die eine Arbeit geschrieben haben: Die Falsifizierung der atmosphärischen CO2-Treibhauseffekte im Rahmen der Physik. Es gibt keine physikalischen Mechanismen, nach denen CO2 (Kohlensäure) das Klima beeinflussen könnte, und für die Behauptung, dass die von Menschen verursachten CO2-Emissionen die mittlere Temperatur der Erde erhöhen könnten, gibt es nicht nur keine wissenschaftlichen Beweise, sondern sie ist auch f a l s c h ...Ich würde sogar ganz persönlich davon ausgehen, dass es sich um den größten Wissenschaftsskandal aller Zeiten handelt. ... Es ist auch einer der größten politischen, wirtschaftlichen und pädagogischen Skandale - pädagogischen Skandale deshalb, weil den Schülern in den Schulen Falsches beigebracht wird... "

<sup>7</sup> „Hundreds of billion dollars have been wasted with the attempt of imposing a Anthropogenic Global Warming (AGW) theory that is not supported by physical world evidences....AGW has been forcefully imposed by means of a scare stories and indoctrination that begins in the elementary school textbooks.”

cfr <https://wattsupwiththat.com/2010/11/14/climate-change-the-keywords-part-2-of-3/> Geraldo Luis LINO, geologus Brasilianus, qui scripsit librum a.2009 editum, c.t. est: "The Global Warming Fraud: How a Natural Phenomenon was converted into a False World Emergency".

<https://www.welt.de/debatte/kommentare/article13466483/Die-CO2-Theorie-ist-nur-geniale-Propaganda.html>



**NIGEL CALDER (1931-2014)**

## **Theoriam carbonei dioxydati nihil esse nisi ingeniosam commendationem propagandam**

Scripsit Günter Ederer, Latinê reddidit Leo Latinus |  
Haec symbola publicata est d.04. m.Iul. a.2011 |

*Politici ideâ mutationis climaticae ab hominibus effectae nixi construunt rationem politicam energiae, quâ pretia exaugentur. At theses thermocepicae iam pridem sunt refutatae.*

»*Omnes rerum publicarum industrialium partes politicae sive dextrae sive sinistrae theoriam carbonei dioxydati programmati suo inserent comprobatam. Nam eadem est occasio unica, quâ licet vectigalia postulare pro aëre respirando pendenda. Quia dicuntur eodem modo mundum servare a calore mortifero, politici etiam laudabuntur his vectigalibus introductis. Nulla pars politica resistet isti temptationi».*

Hoc scripsit Nigel Calder, diurnarius scientificus multimodis honestatus, editor ipsius periodici, c.t. „New Scientist“ et auctor Britannicae stationis radiotelevisificae (BBC).

Qui unâ cum Hendrik Svensmark et Egil Friis-Christensen Danis physicis in Instituto Nicolai Bohrii illustri operantibus a.1997

publicaverat librum, qui inscribitur: *Sol morosus*<sup>1</sup>, in quo solem quem sunt perscrutati dicunt habere ad clima nostrum effectum maximum.

## Nigelum Calderum de partibus politicis rectê iudicasse

At resultata investigatorum, qui tractant effectûs, quos ad clima habent sol radiationesque cosmicae, magnâ ex parte tacendo praetereuntur. De talibus resultatis politici nesciunt, quid faciant. Si talia comprobarent, non iam possent rationem reddere ingentis fluminis legum, quibus cives coguntur ad etiam etiamque nova tributa vectigaliaque pendenda, ut mundum servent.

Politici si resultata illorum investigatorum respicerent, neque ullam causam afferre scirent, quâ interdicitur, ne adhibeantur bulbi electrici neque causam, quâ foveatur energia renovabilis sumptibus ingentibus. Pro eo, ut vectigalibus postulandis studeant valere ad mutationem climaticam, oporteret politici tractarent effectûs mutationis climatis naturalis.

## De causis mutationis climaticae nulla fit disputatio

Disputatio de causis mutationis climaticae in Germaniâ politicâ non fit. Nihil fit nisi declaratur: Ita *Otmar Edenhofer*, oeconomus principalis et vice-director Bostaniensis Instituti Investigationis Effectuum Climatis<sup>2</sup> dicit haec: »Calefactionem globalem effici gasis thermoceplicis emissis magnâ ex parte est incontrovertibile«. Eius collega *Stefan Rahmstorf* declaravit disputationem de causis mutationis climaticae iam esse finitam.

Pars politica Prasinorum<sup>3</sup>, quae hybrin climaticam ab hominibus factam declaravit programma proprium, interrogatione gubernationi foederali oblata indignata est, num illa sciret negatoribus climatis permissum esse, ut loquerentur in oecis Foederalis Conventus Legatorum<sup>4</sup>. *Fred Singer* scientista Americanus multimodis honestatus conditorque meteorologiae ipsius NASA a *Paulo Friedhoff* delegato partis liberalis (FDP) invitatus rettulit de suarum

<sup>1</sup> „The manic sun“.

<sup>2</sup> Potsdamer Institut für Klimafolgenforschung.

<sup>3</sup> Partei der Grünen.

<sup>4</sup> Bundestag.

investigationum resultatis. At iam is, qui disserit de dictato climatis independens, accusatur haereseos.

At sententiam, quae cum rigore scientifico profertur, quasi sit inconcussibiliter vera, is, qui non solum unius partis enuntiata respicit, scit integumentis dissimulationis evolvere et denudare, ut patefiat nihil esse nisi callida, immo ingeniosa commendatio propaganda. His annis publicatae sunt octingenae ferē litterae, quibus theses carbonei dioxydati thermocepicae refutantur.

Auctores hac re praecipuā differunt ab illis climatologis, qui utuntur imaginibus speculativis<sup>5</sup>: Hi scientiae climatosceptici experimenta mensurationesque proponunt, cum disquisitiones ab illis climatologis ipsius IPCC (magistratūs internationalis, qui libenter solet appellari “Concilium climatis Mundanum”) publicatae sint secundum imagines computatrorum atque calculationes speculativas. Ut brevius dicamus: hi utuntur rebus reverā observatis, illi calculis speculativis. At si res reverā observatae publicē non innotescunt, non valent ad consilia politica.

### **Sententias speculativas a climatologis prolatas cautē considerandas esse**

Suspicionem autem nobis iniciat sententia a climatologis speculativis iterum iterumque prolata, quae est: „Disceptatio scientifica de mutatione climatis ab hominibus effectā est finita.“ Isti enim sententiae subest ὕβρις atque arrogantia inexsuperabilis, quae contrariae sunt omni definitioni methodoque scientiarum. Ad theoriam thermocepicam definitivam demonstrandam iterum iterumque contenditur 97 (nonagenas septenas partes centesimas) scientiarum de hac re inter se consentire (hoc dicitur in *Speculo Hammaburgensi* (“Der Spiegel”), in emissione stationis radiotelevisificae germanicae secundae (ZDF), quae appellatur “Frontal 21” et in *Guidonis Knopp “Historiā”*: “97 Prozent!” – nonne oportet omnis diurnarius criticus caveat tantula testimonia certitudinis allata?

Ut exemplum afferamus: Quotnam sunt scientiae, e quibus nonagenae septenae centesimae partes dicuntur consentire de

---

<sup>5</sup> Klimamodellierer.

mutatione climatis anthropogenâ? Et iidem quinam scientistae sunt? Quisnam eos elêgit? His duobus annis Berolino in urbe bis inter se convenerunt scientistae critici toto ex orbe terrarum oriundi, ut proponerent nova investigationum suarum resultata, quae alia sunt ac illa climatologorum ipsius IPCC aliorumque iisdem fideliter addictorum. At his conventibus non interfuerunt climatologi Bostanienses<sup>6</sup>, vix ullus legatus foederalis conventûs<sup>7</sup> vixque ullus diurnarius operam dant, ut certiores fiant de horum scientistarum resultatis.



### **SVANTE ARRHENIUS**

**(1859-1927)**

Suetus Chemista, qui a.1895 excogitavit  
hypothesin calefactionis globalis  
carboneo dioxydato effectae

Alterum argumentum, quod climatodogmatici subdolê affirmantes student disceptionem quadamtenus extingueare, est historicum: Contendunt enim iam ex 150 (centum quinquaginta) annis nôtam esse vim, quam ad clima habeat carboneum dioxydum. Hoc argumentum excogitatum est a *Svante Arrhenio* Sueto chemista et scientistâ multiplex<sup>8</sup>, qui ratione merê hypotheticâ, sine ullo indicio ullâque evidentiâ, animo finxit clima calefieri carboneo dioxydato. At notâ bene Arrhenium – omnino aliter ac hodiernos climatodogmaticos –

<sup>6</sup> Bostanium, -ii n. Potsdam.

<sup>7</sup> Bundestagsabgeordneter.

<sup>8</sup> Svante Arrhenius (1859-1927).

putavisse hanc calefactionem climatis generi hominum fore saluti. Non aliter ac Arrhenius climatodogmatici usque diem hodiernum praeter calculos speculativos nullum indicium nullamque hypothesis suae evidentiam sciunt proponere.

Numeri, quibus climatologi ipsius IPCC calculantes nixi erant, in Instituto Universitatis *Norwich* britannico sunt deleti. Cooperatores *Alberti Gorei* propter eius exempla in cinemate *Veritatis incommodae* (»*Inconvenient truth*«) monstrata, homines totius orbis terrarum torrentia, sed parum vera parumque convenientia, se excusaverunt. *Roger Pielke jr.* in ephemeride »*New York Times*« d.23. m.Febr. a.2009 scripsit se numeros dataque ab Assecuratione Reciprocâ Monacensi (*Münchner Rückversicherung*) non revidisse. Ceterum ab Iudicio Alto (*High Court*) Angliae et Valisiae interdictum est, ne cinema Goreanum propter menda nimis multa in institutione scholari monstraretur nisi correctum. Tamen in Germaniâ istud cinema adhuc in institutione scholari tractatur<sup>9</sup>.

### **Carboneo dioxydato pretium attribuere non esse id quod circumiecta tutari**

Tamen gubernatio foederalis<sup>10</sup> necnon oppositio imagine climatis ab hominibus mutati speculativâ construit rationem politicam energeticam, quâ pretia tam vehementer exaugentur, ut Germanis constet aliquot centum miliardis euronum. Eadem gubernatio id, quod hac ratione politicâ energeticâ nixa in orbe terrarum est magis magisque solitaria, non curat. A diurnariis germanicis vix nuntiatum est in summitate G8 in *Deauville* factâ Canadenses, Iapones, Russos, Francogallos inter se affirmasse se nullis conferentiis protocolli post conventum Kyotoense faciendi participaturos esse.

Civitates Unitae observatores tantum mittere volunt. Cum Instituti Bostaniensis consiliarii cancellariae climatici adhuc studeant scaenaria excogitare, quibus fieri possit, ut carboneum dioxydum magistratu mundano iustê distribuatur (quo scilicet facultas competitionis oeconomica determinetur), reliqua pars mundi paulatim valedicit isti

---

<sup>9</sup> Notâ bene hunc textum compositum esse a.2011. Tamen gubernatio interim non multa addidicit!

<sup>10</sup> *Bundesregierung*.

turri babylonicae (*IPCC*), quā multo minor fuit magistratus conciliorum centralis Unionis Sovieticae.

In Civitatibus Unitis bursa carbonei dioxydati est displosa, in Asiam omnino non est introducta, in Australiâ propter hanc bursam corruunt gubernationes – tantummodo in Europâ Germaniâ carboneo dioxydato attribuitur pretium. Quod est inceptum verē vanissimum<sup>11</sup>. Unum tantummodo est tragicum: Etiamsi praeter se nemo huius incepti particeps erit, tamen partes Germaniae politicae firmê constituerunt, ut carboneo dioxydato pretium attribuerent. Ut essent exemplo toti orbi terrarum. At haec omnia nullo modo spectant ad oeconomiae energeticae mutationem atque tutelam circumiectorum.

### **Si agatur de interitu mundi, Germanos esse studiosissimos**

*Nigel Calder* iam a.1998 huius rei causam attulit: »In initio theoria carbonei dioxydati et calefactionis globalis erat inventio anglo-saxonica, quae non ultimo loco culta atque fota est ab industriâ nucleari, quae speravit se posse redanimari. At deinde ex hac theoriâ magis magisque factum est scaenarium mundi interituri, quod displicet Anglosaxonibus, qui sint Germanis ieuniores. Tum consiliarii Concilii Climatis Mundani (*IPCC*) recordati sunt Germanos aptissimos esse ad theorias mundi intereuntis!«<sup>12</sup>

Ita factum est, ut theoria interitûs climato-thermocepici traderetur Germanis. Timeo, ne *Nigel Calder* etiam in hac re iudicaverit rectê.

---

<sup>11</sup> orig. *Es ist eine echte Luftnummer.*

<sup>12</sup> orig. »The Germans are best for doomsday theories!«



**SYMBOLAM QUAM  
DE HYPOTHESI CARBONEI DIOXYDATI  
CLIMATICĀ**

**SCRIPSIT  
GUNTERUS EDERER**

**IN LATINUM CONVERTIT**

**LEO LATINUS**



[https://www.youtube.com/watch?v=zG6\\_eXqgbqo](https://www.youtube.com/watch?v=zG6_eXqgbqo)

## De mutationis climaticae novâ religione

(*Klimawandel: Die neue Religion*)  
Symbola d.19.m.Nov. a.2016 publicata.

**Dr. Wolfgangus Thüne** – ipsius ZDF quondam meteorologus a.2008 hunc nuntium „irretivit“, i.e. interreti imposuit<sup>1</sup>.



**VOLFGANGUS THÜNE**

Qui de climate loquitur oportet sciat, quomodo clima fiat et quâ basi constituti sint valores climatici. Clima autem est aliquid, quod neque sentimus neque experimur in naturâ. Clima est res ad atlantes scholares apta et climatologia est scientia, quae post meteorologiam demum exculta est, meteorologia non excoli potuerat, antequam inventa erant meteorologica instrumenta mensoria. Ergo primo necessarium erat invenire thermometrum, barometrum, anemometrum eqs., eqs. Necnon necesse erat metiri, metiri, metiri... Et deinde scilicet aliquando dictum sit valores mensuratos esse pertractandos ratione statisticâ. Itaque a.1935 membra organisationis meteorologiae mundanae inter se consenserunt medium omnium valorum meteorologicorum, qui periodo triginta annorum observati essent, appellandum esse CLIMA. Neque ex tali temperaturâ mediâ scilicet ullo modo concludi possit, quales his in 30 annis fuerint temperaturae singulae, qualis variis in locis fuerit tempestas, eqs. Praeterea nota bene id quod saepe negligitur: praeter temperaturam sunt multa alia

---

<sup>1</sup> irretire cfr CIC.Mil.54 cum paenula irretitus, ...uxore paene constrictus esset. id. Tusc.2,20 haec (sc. Deianira) me irretivit veste furiali. Irretire significat aliquid reti capere, praesertim adhibetur sensu metaphorico. Quidni utamur hōc verbo ad actionem appellandam, qua informationes interreti imponantur (*angl. posting*)?

indicia tempestatis, et meteorologis temperatura nequaquam est omnium indicium praestantissimum. Hoc enim est pressio aëris. Nam nonnisi pressione aëris mensurata possum determinare, quomodo eadem distributa sit, scio, ubi sint regiones pressionis maioris et minoris, quomodo eaedem dislocentur, quam fortis sit gradiens pressionis aeriae, quam fortis sit fluxio venti, quo determinatur aëris massa et origo et temperatura. Evidem iam exspectaveram conventum climatologorum Hafniensem in irritum casurum esse, i.e. eundem omnino non fore efficacem. Ideo laetor, tamen etiam stomachor, quod haec summitas climatica iam fuit quinta decima - secum relationes diurnarias illuc iter fecerant quindecim vel triginta milia hominum ex omni ferê terrâ mundi, plerumque aëroplano. Hôc modo ingentes copiae fomitum profusae sunt, aër imbutus est substantiis nocivis. Praeterea mirum hoc delectamentum constitit vasta mole pecuniarum, quam si computaveris, profusae sunt aliquot miliardae sub praetextu obiecti tutandi, quod omnino non exstat. Nam - sicuti iam dixi - clima non est res concreta, sed notio abstracta.

*Albertus Goreus* ipse hoc bene intellexit. Nam idem in libro brevi ante summitatem climaticam edito clarê atque perspicuê dixit - verba quae mihi videntur excellentia - »Clima est phantasma abstractum, quod veste mutata fortasse proximis centum annis omnino non agnosceretur. Albertus Goreus scit clima non exstare, sed etiam scit timoribus climaticis fieri posse mercaturam lucrosam. Quod nobis clarê patet legentibus eundem spatio decennii (2000-2010) paene factum esse miliardarium climaticum. Ut iam dixi, summitas Hafniensis in irritum cecidit. Evidem doleo, quod tales conventûs tantâ cum pertinaciâ pergunt institui et adhuc tot homines credunt se calamitate climaticâ lucrum accepturos esse, ut tota ista res (*i.e. tutela climatis. adn. interpretis*) non satis celeriter finiatur.

Quod nunc singuli Concilii Climatis Mundani cooperatores, qualis est *Dr. Hans Labohm*<sup>2</sup>, ad publicum prodeuntes proprio in opere suo Concilium Climatis Mundanum vituperant, nescio an tales comparari possint cum rassis navem relinquentibus, quae mox aquis submergatur.

---

<sup>2</sup> <http://notrickszone.com/2012/12/07/dr-hans-labohm-on-scepticism-in-europe-the-tide-is-turning-very-much-alive-and-kicking/>


Impetu autem a *Doctore Labohm* facto levi tantum et marginali animus avertitur a re praecipuâ.



Ecce liber Wolfgangi Thüne a.2011 editus: »Prophetae de throno climatis pugnantes - Quomodo timoribus primigeniis excitandis pugnetur de pecuniâ atque potestate«. Qui liber complectitur 579 (sic!) paginas.

Iam locuti sumus de thermocepio. Tota ista imago terrae thermocepicae speculativa est falsa! – In omnibus enim rebus, quae fiunt ab hominibus, oportet semper quaeramus: Cur hoc facit? Cui hoc prodest? *Cui bono?* Haec enim quaestio est gravissima. Nam omnia quae facimus, facimus aliquo fine. Origines istius hysteriae thermocepiae iam factae sunt ante quinquaginta ferê annos. A.1955 enim post ianuas clausas haec idea iam excogitata est. At septuagenariis demum annis mediis eadem magis magisque divulgata est. Parum gloriae sibi peperit Germanica Societas Physica (*Deutsche Physikalische Gesellschaft*) eo, quod d.22. m.Ian. a.1986 homines

publicē praemonuit imminere ingentem calamitatem climatis ubiquitariam. Deinde autem idea talis calamitatis terrificae celeriter percrebruit:



D.11. m.Aug, a.1986 in paginā titulari<sup>3</sup> horrei nuntiorum Hammaburgensis, c.t. *Der Spiegel*, monstrata est ecclesia cathedralis Coloniensis fluctibus Maris Germanici submersa.

Huic autem imagini insunt duo symbola: unum est thermocepium, alterum Mare Germanicum sive libra maris ascendens. Haec autem symbola archaica omnis hominis insunt animae. Quibus exprimitur conscientia mala. Nam homo - quod est ens ad mala primum - semper timebat gehennam. Gehennae autem synonymon est thermocepion.

Diluvium quoque ab homine timetur. Nam etiam diluvium effectum est peccatis, quae homo commisit. Etsi nullam iam religionem volo, tamen religio - ut omnis ferē homo scit, necnon Carolus Marx scivit - religio est naturae humanae pars quaedam essentialis. Homo semper credit in aliquam rem. Non necessarium est eum credere in Deum. Nisi credit in Deum, credit in deos aut in alias res, sed credit. Itaque sunt, qui hōc desiderio credendi male abusi dicant: ,Bene, ego nunc

<sup>3</sup> pāgina titulāris i.q. theod. *pagina titularis*.

novos deos creo, novamque religionem. Haec autem religio utitur quidem symbolis prioribus, sed novis nominibus. Itaque in thermocepio omnia renovantur: Non iam pecco uxorem vicini mei seducens, sed pecco ipsâ existentiâ meâ, eo, quod vehor autocineto, quod domum meam hieme calefacio, quod itinera facio aëria. Peccare non desino. Nam carboneum dioxydum etiam exspiro. Istud est parvum quidem, tamen etiam peccatum! Si verê dicitur portione carboney dioxydati, quae continetur hōc aere, quem respiro, effici, ut intereat hic globus terrestris, i.e. effici calamitas climatis universalis, equidem ipse omni spatio vitae meae die noctuque sum parvus peccator“.

Nos credimus in mutationem climatis, credimus, quia nescimus, sed politici et scientiae tam diu nobis dictitaverunt clima (carboneo dioxydato) calefieri - nunc necessarium nobis esse videtur sic fieri. Hoc est dogma, i.e. id scientiae, quod nobis deest, compensamus credulâ confidentiâ. Quisnam contradicat narranti ursos maritimos phocarumque catulos in dies minora spatia habere, quibus vivant? Quemnam non miseret hominum regiones climaticas incolentium in dies immisericordiores? Animae nostrae inest quaedam vox nobis dicens: „*Culpam istorum malorum omnium contraximus nos met ipsi! Nationes industrielles divites, qui circumiecta naturalia expilaverint!*“ – Clima est nostra conscientia mala. Nam desideramus mundum quendam sanum beatumque. Desideramus naturam puram, sensum quendam naturae innocentem atque romanticum. At huius sensûs desiderati absentiam compensamus eo quod mente fingimus calamitates ab hominibus effectas.

**Norbertus Bolz:** „Eo quod credimus in mutationem climatis (ab hominibus effectam), directê opponimur calamitati praevibili, i.e., denuo licet nobis affici religione, quamquam non credimus in Deum. Apparet hanc credendi oblationem in societate nostrâ atheisticâ esse ferê irresistibilem.“

Religio christiana nobis facta erat nimis laboriosa. Attamen volumus quidem in aliquid credere. Et antequam in nullam iam rem credimus, credimus in interitum mundi. Finis mundi – sic periti nobis affirmant – imminet! Secundum autem mores christianos nobis traditos, nos

omnia peccata mundi in nos recipimus. Ecclesiae autem officiales, *Huberi illi et Käsmanniae* nunc etiam loquuntur de climate – at nimis sero! Ipse *Tutu* episcopus ille subridens hos climatodulos fideles non iam recipiet in gremium ecclesiae.

TUTU: „Mutate – mutationem climatis!“



Nam nova climatis religio offert nobis rem aetati aptissimam: **TIMOREM**, i.e. timorem mediis technicis in scaenam producibilem! In cinemate conferentiae climaticae Hafniensis spectatur puella parvula somnians de interitu mundi! „**SUBVENITE, QUAESO, MUNDO!**“

**Norbertus Bolz:** “Si quis dicit: ‘Timeo!’ id est: Agitur de rebus omnibus. Omnia periclitantur. Existentia mea, existentia generis hominum, existentia terrae, ...plura non possunt periclitari! Et his verbis quae sunt 'plura non possunt' - his verbis, quibus timor efficitur quam maximus - scilicet animus hominum nunc excitetur tantâ cum vehementiâ, quantâ usque nunc non excitatus est nisi rebus religiosis. Itaque ea quae homines de naturâ faciunt, nunc profecto iterum describi possunt notionibus religiosis.“

Deus noster nunc non iam est Deus pater, sed ‚Mater Tellus‘. Nos autem eidem sumus subiecti. Sic legitur in bibliâ religionis climaticae, quod est Protocollon Kyotoense. Cuius praeceptum primum est: ‚Clima ne fiat duobus gradibus calidius!‘ Ex illo tempore omnes plâgae biblicae sunt plâgae circumiectorum. Homo Tellurem vexavit! Itaque eadem nunc ultionem exercet terribilem! Sic quidem dicit communitas fidelium – sic dicunt discipuli conferentiarum coniecturalium!




**ECCE NORBERTUS BOLZ (\*1953): vir bonus dicendi peritus**

De huius mundi summitatibus climatis omnibus illi nos invocant: „Convertite, paenitentiam agite! Peccatum vestrum est emissio carbonei dioxydati! Peccata quoque sunt industria quaestuosa et res technicae, ista figmenta diabolica! Vos autem, qui in talibus terris vivatis, vos omnes estis peccatores! Vita vestra nihil est nisi pigritia atque voluptas! At restat remedium: commercium facite indulgentiarum carbonei dioxydati! Ergo si quidem peccatis aëroplanis volantes, saltim pereatis beneficio climatis compensato!“

Qui talia audire non vult, in eum invehitur *Greenpeace*, i.e. vigiles Matris Telluris circumiecturales. Qui sunt religionis climaticae archiangeli, eorumque propheta est *Albertus Goreus*, qui praeditus est lepôre praedicatoris televisorii. Eius cinema *Veritatis incommodae* est eius sacra annuntiatio!

**Norbert Bolz:** »*Albertus Goreus* est primus homo politicus, qui denuo ausus est – saltim in mundo occidentali – in publicum prodire personâ prophetae indutus. Ut ita dicam: Is vir cursu honorum politico parum prosperê facto cursum cepit prophetae prosperrimum idque materiis usus scientiarum, quae videntur esse rationis novissimae. Istam quidem prophetiam sentio esse mixturam perniciosam...“\*

Haec mixtura parata est nobis a scientistis - eidem inest icon calefactionis climaticae, quo tam pulchrê spectatur calefactio his centum annis facta.



### **ECCE TELLUS MATER CLIMATODULORUM**

At - me Dius Fidius! - deinde patefactum est discipulos Instituti Climatologiae omnium gravissimi (*Climate Research Unit*) ad hunc iconem efficiendum numeros calculosque falsavisse, numeros aberrantes suppressisse, collegas contradicentes molestavisse necnon


---

\* »Al Gore ist der erste Politiker, der es wieder gewagt hat – zumindest in der westlichen Welt – als Prophet aufzutreten. Und man könnte sagen, er hat an seine gescheiterte Politikerkarriere eine sehr erfolgreiche Prophetenkarriere angeschlossen und das interessanterweise mit dem Material scheinbar avantgardistischer Wissenschaften. Das ist eine – wie ich finde – unheilvolle Mischung.«

haereseos accusavisse. Climatologi cum commiserunt peccatum originale, innocentiam amiserunt methodicam. Nam scientiae supprimebantur a politicis. Iidem enim invenerant hoc thema sibi esse instrumentum securum, quo civibus explicarent officia onerave molestiora atque graviora illis imponenda. Religione mundi servandi, cuius catechismus elaboratus est a concilio vigilum climatis, calefactio climatis factum est dogma.

**Dirk Maxeiner** (diurnarius scientificus): „Propriē hoc decernendum fuerat politicis – iudicandum fuerat, num haec hypothesis esset satis certa, et deinde dicendum erat: Bene, nunc agendum est aut sic aut aliter – At responsalitas translata est scientistis. Et dictum est: ,Vos hanc rem debetis reddere firmam certamque. Et deinde nos poterimus rem decernere.’ At scientiae eo momento, quo parati sunt problematis intricati et adhuc parum perspicui enuntiare solutionem claram et simplicem et definitivam – perierunt et sunt perditissimi!“

**Norbert Bolz**: »His decenniis a liberalitate atque quodam genere illuminationis massalis nos raro remotiores eramus quam hodie – immo, res nostra versa est in contrarium: **Denuo incidimus in manū prophetarum**«<sup>\*\*</sup>.




ECCE SEVERUS PAPA ASSECLARUM CALEFACTIONIS GLOBALIS  
MISERRIMO CLIMATOSCEPTICO ACCLAMAT: "AGE PAENITENTIAM!"

\*\* »Selten waren wir in den letzten Jahrzehnten weiter entfernt von Liberalität und einer Art Massenaufklärung als heute – ganz im Gegenteil: Wir sind wieder in die Hände von Propheten geraten.«

## EA QUAE


# VOLFGANGUS THÜNE ET NORBERTUS BOLZ SENTIUNT DE CALAMITATIS CLIMATICAE NOVA RELIGIONE IN LATINUM CONVERTIT

## LEO LATINUS



**CONFERENTIA CONTRACTŪS MUTATIONIS CLIMATICAE**  
Disceptationes haud bene aguntur... Egemus periodo, qua non fit refrigeratio!

### The Real Consensus



"Hands-up. Who thinks greenhouse gases have no effect, therefore we all need new jobs? Anyone?"

### ECCE VERUS CONSENSUS

»Tollite manus. Quis cogitat gasa thermocepica nullum habere effectum (*ad calefactionem globalem*), ideoque nos omnes egere novis occupationibus? Estne aliquis, qui haec cogitet?«

**FINITA NUNC EST HEXALOGIA  
C.T. EST**

**DE FRAUDE CLIMATICA**

**QUAM SERIEM SYMBOLARUM A VARIIS  
AUCTORIBUS SCRIPTARUM  
COLLEGIT ET IN LATINUM CONVERTIT**

**NICOLAUS GROSS**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

**ECCE UBERRIMUS THESAURUS CLIMATOSCEPTICUS:**  
<http://vademecum.brandenberger.eu/einleitung/inhalt.php>



## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdē augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipue disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |   |         |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non éditur in domunculā Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretiale (i.e. anglicē »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimē eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeratas, quibus operam dedit illis creandis.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EIΣ AEI.*

## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR .	Num. mand a- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRE- TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAЕ	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenma tt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptman n	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505 A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605 A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705 A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAЕ	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIMUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406 A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	--	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207	978-3-	OBSIDIO SAGUNTI A	Livius	_____	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

	A	938905-28-9	T.LIVIO DESCRIPTA						
30	00307	978-3-938905-29-6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,**

**USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM  
CENTESIMAM QUADRAGESIMAM QUARTAM**

**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



**die Martis, 31. m.Oct. a.2017  
quo celebratur  
Iubilaeum Reformationis Evangelicae  
Quingentennale**

**Nicolaus Groß**  
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



**LEO LATINUS**

**<http://www.leolatinus.de/>**